



RECTOR ET PROFESSORES P.
ILLVSTRIS SCHOLAE BREMENSIS
MEMORIAE
MATRONAE PRAENOBILISSIMAE
MARGARETAE SCHOENEN
EX GENTE BÜRENIA

CONIVGIS

VIRI PRAENOBILISSIMI CONSULTISSIMI ET AMPLISSIMI
OTTONIS CHRISTIANI SCHOENE

J. V. D.

REIPUBLICAE SENATORIS, PRAETORIS VRBIS ET SCHOLAE
CONSTITVENDAE DVVMVIRI

NATAE BREMAE, D. I. FEBR. A. MDCCXXIII.

DENATAE IBIDEM D. XIII. NOVEMB. A. MDCCLXVIII.

AETATIS A. XLV. M. IX. D. XII.

EXVVIIIS D. XVII. NOVEMBRIS IN TEMPLO ANSGARIANO CONDITIS

SACRAM HANC TABVLAM SVSPENDERVNT

BREMAE,

TYP. VID. H. C. IANI ET DIDER. MEIER. ILL. GYMNASII TYPOGR.



RECTOR ET PROFESSOR P.

ILLUSTRISS SCHOLAE GYMNASII

MEMORAE

MATRONAE PRÆTORIÆ

MARGARETAE SCHÖNBERG

EX GENTE BÜRGINIA

CIVICIS

VARII PRÆTORIISSIMO CONSILII

OTTOVIS CHRISTIANI SCHÖNBERG

M. D.

ALTISSIMO GYMNASIO, PRÆTORIÆ SCHOLAE

CONSTITUTAE

M. D. C. LXXIIII

PRÆTORIÆ GYMNASII D. N. JOHANNIS A. M. D. C. LXXIIII

ALTISSIMO GYMNASIO

ALTISSIMO GYMNASIO, PRÆTORIÆ SCHOLAE

CONSTITUTAE

M. D. C. LXXIIII

ALTISSIMO GYMNASIO, PRÆTORIÆ SCHOLAE



L. S.



Morborum vitae nostrae infestorum, dum copiam vel potius exercitum et varietatem, ut nos de illis erudiunt artis mendi periti, dum praeterea quae aliquas illorum species circumstant, diurnitatem, qua lenta et serpente tabe nos conficiunt, cum doloribus lancinantibus qui non paucos comitantur, contemplamur, conditionem miseram nostri generis in hoc orbe conspiciamus quae multos manet, omnibus vel eminus vel cominus minatur, et a qua si praeservemur, soli provido id Numini acceptum ferendum habemus. Obnoxii enim per indolem nostri corporis possumus reddi, eisdem quibus alios premi cernimus infirmitatibus valetudinis, ut magis mirandum sit unde eveniat, multo plures salvos atque tutos praestari a talium afflictionum cumulo, quam ab illis torqueri. Uti vero sensum molestum excitat illa consideratio, atque ad compassionem movet quemcunque, qui hominem non exuit, novitque, cum homo sit, humani nihil ab ipso alienum esse; sic spectans exempla fortium animorum, qui patienter imposita ipsis in morbis gravioribus onera ferunt, atque virtutem tolerantiae sapientis et laudabilis verbis atque factis ostendunt, alium sentit affectum, nimirum admirationis, et quidem eo majoris siquidem suae imbecillitatis sibi met ipse conscius, praesumere non audeat, se in similibus malis similem constantiam magni animi demonstraturum. Jucunda est facies virtutis ubicunque se prodit, cuilibet qui justum ipsi pretium statuere novit: Verum grata magis, dum se conspiciendam et admirandam praebet in rebus et in exercitiis arduis. Tunc minuit tristitiam quam commiseratio induxit, & memoriam illorum qui molestias dolorum erecto superarunt animo, etiam post fata reddit summe commendabilem & acceptam. In historiae monumentis exempla quam plurima stupendae fortitudinis animi in mediis cruciatibus, ab ipso sexu sequiore & debiliore exercitae legimus, imprimis in Actis martyrum genuinis & sinceris, in quibus venera-

bundi exosculamur patientiam perseverantem, sed nixam cognitione veri atque boni, in ærumnis ad quas natura perhorrescit, qualia collegit post alios GALLONIUS *de martyrum cruciatibus*. Verum hæc illum in finem adducimus, ut indicemus posse tantam virtutem exerceri, viamque dari paratam, ut ad talem gradum ascendatur in femita aspera, qui cæteroquin meminimus aliam prorsus fuisse causam, in qua defendenda martyres dura fuerunt perpeffi, quam illa est, dum gravia mala corpora humana urgent per ordinem naturæ & secundum illius leges; alia quoque auxilia adfuisse, per quæ illi suffulti fuerunt ad tantam constantiam, quam quæ in casibus ad communem fortem humanam pertinentibus nobis polliceri possumus. Nihilofecius contendimus patientiam inter virtutes locum habere spectabilem, & sua pulchritudine oculos ad se attrahere, atque in se defixos tenere. Veri nominis tolerantia malorum, quæ in censum virtutis venit, a mera specie atque larva immane quantum differt. Ei deditus animus in iudicio circa naturam, gradus et causas malorum non errat, nec a veritatis tramite defleçtit; præterea intime est persuasus, nihil sine Numine contingere, nullumque dolorem præter ejus nutum accidere, quod ut est summe justum, sapiens & beneficum, fines his perfectionibus congruos intendit, quodque eapropter adorat; denique cum certus sit, quælibet mala in hac instabili rerum humanarum conditione aliquando finem habitura, & commutanda esse cum melioribus, intuitu finis illius, præsertim si per pollicitationes spes excitetur & alatur, novas vires acquirit ad perferendum id, quod nunc absque everfione ordinis naturæ & universi mutari nequit. Convicta de his veritatibus ipsa ratio per ratiocinium & experientiam, consolationem ut audit Philosophiæ subministrat & in femitas patientiæ nos deducit, impellit quoque ad illas calcandas, quibus sed debilibus impulsibus, religio illa quæ coelitus delapsa est, facem lucidam magis accendit ad roborandum gressus, et ad promovendum progressus cohibendumque animum, ne a fallaci mentitæ hujus virtutis specie se decipi patiatur. Quid enim hæc nobis spectandum offert? Meram sane animi duri & inflexibilis obstinationem, in qua ex ignorantia rerum cognoscendarum, mentis ægritudinem, fati sine numine diritatem incusando atque culpando, compefcit desperabundus, sicut capistratæ feræ domantur, mordentes aut rodentes catenas quibus constrictæ sunt. Ut hominem exuere, & sensum insensibilem reddere, sive *arrabier* ex Stoicorum conceptu induere, incassum allaborant, summam impatientiam tegunt larva tolerantia malorum, & ut appareant indolentes, id agunt ut imprudentur ipsa mala cum intus corrodente dolore augeant. Prorsus aliter se habent aguntque, ad veri nominis patientiam contendentes, sponte & ultro per agnitas veritates ferenda perferunt, levamenta non penes se ipsos quærendo, sed apud immittentem, intuitu majoris boni, mala, illaque attemperantem sapientissimo consilio uti maxime convenit, sive spectemus patientem, sive mali indolem atque modum, sive modulum, durationis spatium, terminumque. Coecutiremus in his & delaberemur ad devia nisi sancta religio nos duceret ad cognitionem veritatum utilium, quarum luce et ope apti reddimur, ad ediscendam & exercendam artium difficillimam

tolerantiam. Emollit illa mores atque animum, & a ferocitate liberat, præfervat, & sic disponit ut ultro ferre & lubentes studeamus, quæ alias coactæ & renitentes deberemus. Instruit nos de Deo ejusque perfectionibus, consiliis atque rerum gubernatione, ut in ipsis molestiis perfentiamus benignitatem, sapienter temperatam. Spem excitat promissionibus, de ærumnis moderandis ne vires nobis indultas exsuperent & de commutandis cum melioribus, postquam præsentibus ad terminum præfixum erunt perductæ in beata æternitate. Quantum superat talis spes quam religio movet & alit per pollicitationes divinas veracitate Dei nixas, omnem expectationem, quam sibi relicta ratio præsumit, quæque in meras conjecturas demum resolvitur. Non per doctrinas solum & regulas sancta religio nos manuducit, verum etiam per exempla quæ ingens habent pondus, tum ad animum movendum, tum & ad nos convincendum tolerantiam illam, ut hominis in hac vita fortem excedere videatur ad ægritudinem tentati, posse accedente gratia divina in actum deduci. Jobi exemplum in tabulis V. T. descriptum & commendatum in tabulis Novi, dum morbi corpus enervant & excruciant, edocet, ad quem gradum valeat ascendere tolerantia, simul & quousque possint compeisci insultus ægritudinis, ex humana fragilitate orientes, quorum sensus virtuti formam dat, dum virtus absque tentatione & exploratione, vix augustum illud nomen meretur. Verum quod excellit omnia quæ unquam potuere præberi, exemplum Sosipatoris optimi maximi, tanta luce coruscat, tam gratum est quibuscunque nomen ejus & gloriam cum meritis profitentibus, tantumque robur addit omnibus aliis argumentis, animum, ad exferendum veri nominis tolerantiam, moventibus, ut in ipsis doloribus beneficia divina salutem promoventia, deprehendere & quod gentium Apostolus indicat, in afflictionibus perpeffis lætari possint. Innocentissimus enim, cum quilibet mortalium ob reatum & culpas, supremo judici detestandus sit, perferendo cruciatus & quidem mero homini intolerandos, non sui sed aliorum fontium causa, absque quod vel verbo ullo, vel cogitatione desponderet animum, vestigia sua impressit semitæ salutis, legenda ab omnibus, qui per ejus merita ab omnibus malis demum exfolvi cupiunt. Spei quoque æternorum beneficiorum doctor, & expectandorum vas atque sponsor, fidei auctor & perfector, robore mundo ignorato & incredibili, credentes illi illumque amantes munit, ut omnia valeant per ejus fideique virtutem. Si in nostris diebus appareant exempla animorum fortium, per religionis efficaciam ad virtutem illam perducti, & in diuturnorum morborum acutis doloribus placidæ mentis tranquillitate gaudentes, ansam illa dant lætandi omnibus causæ religionis defensoribus, quod nondum per vanitates & inania oblectamenta seculi, sensum ejus obtusum reddentia, vis ejus fracta sit ne se exferat, & conspiciendam præbeat in rebus duris. Sacram hoc quoque præter alia nobis fecit Memoriam MATRONAE PRAENOBILISSIMAE, cujus nomen cum natalibus atque decessu, ex hac vita in frontispicio designavimus. Ortum illa duxit ex gentibus clarissimis & de omni republica meritissimis per plurium annorum tractum, utrinque in stemmate paterno & materno. Inter cereos fumosos

GENTIS BURENIAE

numerat PARENTEM Virum perquam Magnificum DANIELEM von BÜREN ICTum, Consulem Seniore, Ecclesiarum in agro Patronum & Hospitalis ad D. Remberti Provisorem, ut brevibus multa complectamur Civium Amorem, qui illam suscepit ex Matrona Nobilissima HELIA HOLLER, de cujus gente mox commentabimur. Numerat AVVM T. T. JOHANNEM DIDERICVM J. U. D. & caesarum Patronum, AVIAM T. T. SOPHIAM HELENAM TILEMAN dictam SCHENK, FILIAM perinolyti Viri FRIDERICI CASIMIRI TILEMAN dicti SCHENK ICTi, Comitum Palatini Caesarei, Patriæque Consulis senioris atque T. T. REBECCAE SVRBIKKEN; PROAVVM DANIELEM ICTum & Comitem Palatinum Caesarem atque Ecclesiae Collegiatæ at SStos Willehadum atque Stephanum Canonicum, PROAVIAM T. T. ELISABETHAM SCHVTTEN, Amplissimi Senatoris JOHANNIS SCHVTTEN NATAM; ABAVVM HERMANNVM Reipublicæ a secretis, ABAVIAM GESAMVONRHEDEN, FILIAM DIDERICI Senatoris; ATAVVM DANIELEM ICTum ATAVIAM ILSABETHAM GRÖNING Senatoris RATIE GRÖNING GNATAM. PROAVVM MAIOREM HERMANNVM Patricium, PROAVIAM MAIOREM ADELHEIDAM VASMERS, FILIAM HENRICI Senatoris; ABAVVM MAIOREM DANIELEM ICTum & Reipublicæ Consulem ABAVIAM MAIOREM BECAM SPARENBERGS, NATAM JOHANNIS Senatoris, ATAVVM MAIOREM HERMANNVM Collegii Seniorum sodalem ATAVIAM MAIOREM MARGARETHAN BRANDS FILIAM DANIELIS hæreditarii in Riensberg; TRITAVVM HENRICVM, TRITAVIAM METTAM VON GRÖPELINGEN. Hujus Tritavi PARENS fuit REINEKE VON BÜREN hæreditarius in Holtze, MATER GESA FILIA Senatoris DIDERICI VON SCHARHAAR: AVVS autem RVLF VON BVREN quietem post peractam cum laude militiam, venditis prædiis suis nobilibus in Holfatia BVRCHARDO Episcopo Lubecensi, apud fratrem Venerabilem Abbatem Cœnobii S. Pauli in Suburbio nostro A. C. 1325. quæsit, FILIVMQVE modo indicatum, cum uxore WVBETA VON LVNENBARGE FILIA Generosi NICOLAI hæreditarii IN LVNENBARGE genuit. Subjungimus quod suis meritis itidem inter nos splenduit, Stemma

GENTIS HOLLERIAE

AVVM salutavit Virum Perquam Magnificum & Consultissimum JOHANNEM HOLLER, ICTum & Consulem Seniore inelytissimum, Judicem hæreditarium in Borgfeld atque Hospitalis ad D. Remberti Provisorem, cujus, strenui justitiæ & libertatis Patriæ scriptis & factis vindicis, memoria oblitterabitur nunquam, AVIAM Matronam Nobilissimam MARGARETHAM SCHWELING Magnifici Viri MELCHIORIS SCHWELING ICTi, judicis hæreditarii in Borgfeld, Consulis itidem senioris FILI-

AM. PROAVVS fuit T. T. ARNOLDVS HOLLER negotiator florentissimus, PROAVIA T. T. ILSABETHA T. T. JOHANNIS OELRICHS negotiatoris felicissimi & T. T. MARIAE DWERHAGEN, GENITA; ABAVVS T. T. JOHANNES, mercator ex præcipuis, ABAVIA ADELHEIDIS FILIA T. T. JOHANNIS HVNTEN & ADELHEIDIS SCHLEPEN; ABAVVS CASPARVS HOLLER, qui per actis aliquot itineribus in Indias Orientales, tanquam præfectus navis ex portu Zelandiæ expeditæ, rerum suarum sedem heic fixit & mercaturam fecit; erat autem FILIVS CONRADI, Senatoris. ABAVIA BEATA, FILIA CARSTEN MEIER. Excitata pie defuncta per exempla domestica tantorum majorum, quorum memoria inter nos viget & laus in omnium ore versatur, a teneris præclara de se expectare jussit. Indolem erectam & ad quævis pulchra aspirantem, jovit fidelis parentum educationi impensa cura. Imbuta mature præceptis religionis, morum atque decori, cum scientiis quæ sexum ejus ornant, felices fecit progressus, qui minabantur ipsam aliquando se præstituram tam fidam matrem familias ac experta erat suam ipsius matrem. Orbata illa, per præmaturum ejus ex hac vita decessum, Inelyto Parenti viduo fulcimento fuit, cum Prænobilissima unica sorore (quam Deus in solatium Magnifici Mariti & universæ familiæ diu superstitem esse jubeat.) levavitque curis publicis fessum, ut par pari in impensa educationis ipsius cura referret. Ornata quam multis decoribus animi, corporisque, expetita votis Viri Nobilissimi Consultissimi & Amplissimi OTTONIS CHRISTIANI SCHOENE cujus honores & munera, quæ summa cum dignitate sustinet, supra expressimus, Scholarchæ præsertim gravissimi, cujus ex hac viduitate afflictiones, divina manus omni modo sublevet; illis cessit, nuptiis celebratis d. 31. Octobr. 1741. Conjugium hoc concors fuit ut mereatur in exemplum imitandum poni, quaternâ quoque prole beatum, ex qua una mascula CHRISTIANVS nempe, natus d. 25. Novembris A. 1752, fere septennis A. 1759. d. 22. Octobr. decessit; superstitite reliqua

I) Primogenita Matrona præstantissima MARGARETA SCHOENEN nata 13. Decembris A. 1744. elocata d. 25. Martii. A. 1766. Viro Nobilissimo, Consultissimo & Amplissimo JOHANNI PVNDSACK J. V. D. Senatori & Ecclesiarum Agrariarum Patrono.

II) & III. Postgenitarum, Virginum lætissimarum pari HELIA SCHOENEN & GEBECCA SCHOENEN, natarum prior d. 13. Octob. A. 1748. altera d. 1. Maji 1762.

His, per luctuosum obitum dilectæ matris, ab ejus sollicita & solerti cura & consiliis, destitutis, benignum Numen adsit, sufficiatque id omnipotenti auxilio quod humanam opem excedit, addatque, siquidem id salutare accidere possit, illarum annis, quod annis Matris dentum nobis esse videtur, quo ex gaudio inde sperando & percipiendo, prolongetur ætas Amplissimi Parentis, in Patriæ & munerum gravissimorum quibus præest diuturna commoda. Pie defunctæ mores, memoriam ejus gratam & stabilem reddent, non domui

ejus solum & splendidæ familiæ, verum & omnibus qui illam noverunt intimius illiusque conversatione fructi sunt. In vita civili varia virtute conspicua, animos omnium sibi devincivit, comitate, humanitate, morum elegantia, affabilitate & æquitate, liberalitate quoque in egenos, ex re lauta, qua ipsi frui erat datum. Ex dogmatibus religionis quæ a teneris imbiberat quarumque scientiam indies augebat, tam per cultum publicum, cui assidue dum per valetudinem licebat intererat, quam per utilem lectionem, librorum animum ad internum Dei cultum flectentium, beneficia præcipue sensit, & præparata est ad fortiter ferendum diuturnum & acerbis doloribus comitatum morbum, cui demum succubuit. Illius enim anteambulones, ut ut vitam in discrimen non adducerent, minaces tamen & monentes de machinæ nostræ fragilitate, illam excitarunt, ut animum appelleret ad serias cogitationes, de rebus maxime seriis, ut sunt hujus vitæ novissima cum sequelis in seculo futuro. Hinc privatim ex meditationibus devotæ Deo mentis, altis per studiosam lectionem librorum, cynosuram præbentium ad pietatis exercitia, artem addidit omnes alias excedentem, tolerantia malorum, forti sed & simul composito, Deique manum sub illorum onere imo pondere exosculanti animo. Quamlibet feram ætatem promittere videretur, venustus corporis cum vigore habitus, concussus antehac quidem aliquoties ab exanthematibus & doloribus rheumaticis, debellatis tamen felici successu, in sexto tamen post ultimum puerperium anno, se prodiderunt initia morbi Herculani, cui tot nuper remedia quæsitæ sed inventa sunt hæcenus nulla, in tumore scirrhuso nuntio malorum & dolorum per artem medendi hæcenus insanabilium. In consilium vocati non solum Viri experientissimi, quibus urbs nostra superbit, doctrinæ salutaris periti, sed & celeberrimi inter externos, sed frustra. Tussis, spasmi, prostratio appetitus, agrypnia & insultus febris hectica, indicabant morbum per nobiliora viscera, præsertim per pulmones diffusum esse. Tunc omnis spes decollabat, & morbus per suam indolem, corpus maceratum & emaciatum conficiebat, verum & tunc se conspiciendam præbebat admiranda illa animi magnitudo, roborata per fidem justificantem & salvificam in merita Sospitatoris atque pollicitationes divinas, ut obedientem se decretis Dei gerendo, imperterrita mortem expectando, plena spe & expectatione meliorum, dolentes & in lacrymas effusos familiares consolaretur, ad acquiescendum in Dei voluntate, tranquilla mente & in coelum defixa hortaretur, inter pia suspiria adstantium, quibus læte annuebat, animam Deo redderet. Nul- lum spectaculum magis afficit mortalem, quam tale in quo terminantur durissimæ cruciatuum corporis molestiæ, spiritu sustentato atque per religionem ad beatitatis spem erecto, & splendor ille patientiæ Christianæ, vincit facinorum heroicorum, qui finem in hoc seculo habent, gloriam. Vale! Pos. Mense Novembri A. MDCCLXVIII.

